

Appendix ad Ephemerides Latinas

Nro. 56.

Completens Physico - Oeconomica.

De Cultura, et Usu Ikriczæ, Producto Comitatus Arvensis.

Species cujusdam secalis, quam in Provincia Arvensi *Ikriczam* adpellant, granis quidem minutis est; at simul fœcundissimis, Frumenti genus hoc e Moravia jam ante plures annos in Ditionem Arva illatum, hodiedum ibi insigni cum emolumento colitur. Duplex autem est eam colendi ratio: Vel *primo* ager, consveto pro satione siliginis modo præparatus, mense Augusto *Ikricza* conspergitur, quæ dein eodem, quo reliqua frugum genera, autumnosata, tempore demetitur. Satio *Ikriczæ* rare potius, quam dense instituitur; quia granum illius quodlibet multiplicatos culmos & spicas producit. Vel *secundo*, quod cum laborum & sumptuum compendio magis proficuum est, negotium sic instituitur:

Ager, sublata messe vernali, autumnos aratro proscinditur, & ingesto stercore fimatur. Sequentes dein Vere, dum sationis hordei tempus imminet, idem ager iteratur, &

generatim velut pro recipiendo hordei semine præparatur. Postea pro agro, modii unius hordei capace, assumuntur $\frac{3}{4}$ MP. hordei, & $\frac{1}{4}$ Ikriczæ, quæ, invicem permixta, non admodum dense vola sparguntur. Dum hordeum eodem adhuc anno messi maturum est, Ikricza adhuc in herba est, quæ cum illo desecatur, & in pabulum pecorum convertitur. Peracta messe Ikricza, antequam hybernium frigus ingruat, ad eam adhuc altitudinem exorescit; ut aut falei, aut saltem impastioni pecorum apta evadat. Sequente demum anno tempore communis messis fructum cum quadragesimo & amplius grano reddit. Hinc consequitur; altero hoc Ikriczam colendi modo triplex commodum enasci: 1. quia stramen hordeaceum gratissimum pecoribus pabulum præstat; cum tenero Ikriczæ gramine conditum sit. 2. Quia eadem æstate ex agro, Ikricza consito, præter fœnum Chordum quoque acquiritur. 3. Quia semel cultus ager duobus annis fructificat. Accedit, quod stramen hordeaceum, cui Ikriczæ herba immixta est, non modo armentis; sed & equis, ac ovibus plurimum conducat; quodve hordeum cum Ikricza consitum tantum in messe reddat, quantum dedisset, si solum per agrum sparsum fuisset. Ikricza demum ubertate sua siliginem longe superat; siquidem e quadrante illius terræ commisso tantum obtineatur, quantum ex hujus semimetreta. Venti præterea pluvizque Ikriczæ minus obsunt, quam siligini, farinamque præ-

bet e
mixto
ratio
Provin
raro a
solerti
quæst
nem:
quod
labori
impen

Conclu
tae si

F
hæc
sche
cha)
terfr
mi-un
wurze
ta 3e

*) F
i
a
M
s
r
(
I
2
(

bet ejus qualitatis, cujus e siligine tritico mixto acquiritur. Ex omnibus his non tantum ratio manifesta est, ob quam in montosis Provinciæ Arva partibus, ubi siliginis satio raro admodum succedit, Ikricza magna cum solertia colatur, sed & illud indubium est; quæstuosam plane esse hujus seminis sationem; cum quod fœcundissimum sit; tum quod nulla fere cultura egeat; quod enim laboris impenditur, id alioquin hordei gratia impendi debuisset.

Conclavia aestatis tempore seu fenestras apertae sint, seu clausae a Muscis depurgandi Methodus.

Paretur Essentia, cujus compositionem hæc ingrediantur: $\frac{1}{4}$ ℥ *Cantharidum* (Spanische Fliegen; körös bogár; Spangeiska Muscha) 2. semi-unc. herbæ *Matricalis* *) (*Mutterkraut*; 1. semi-unc. *Auri pigmenti*; 2. semi-unc. radicis *hyperici perforati* (*Johanniskwurz*; *Orbantz-fü*, *Csengö-virág*; *S. Janska Zelina*) 2. semiunc. *Sassaffras*; 2. semiunc.

*) Herbæ Matricales generatim eæ dicuntur, quæ in passione hysterica (*Mutterbeschwerung*) alleviamen præstant; hæc pertinent speciatim: *Matricaria Chamomilla* (*Seldsamillen*; *Mezeiszek-fü*; *Polni He mance*) *Matricaria Parthenium* (*Mägdeblume*) *Melissa officinalis* (*Melisse*; *Tzitrom-fü*; *Rogovnik*, *Melissa*) *Ledum palustre*, *Andromeda physolia* (*wilde Rsmarin*) *Glaux maritima* (*Milchkraut Strandisp.*)

Spiritus fornicarum; 3. semi-unc. granorum
Cucurbitæ, & Vola una *Juniperi Sabinæ* Sage
Säbenbaum) modo sequenti:

Singulæ e recensitis substantiis, demptis
Cantharidibus, prius contusæ ad novam ollam
 figlinam congerantur, & infusis duobus sex-
 tariis fortis aceti Vinacei actioni caloris igni-
 torum carbonum exponantur, ut quadrantis
 horæ spatio coquantur: ne autem massa eva-
 poret, olla operculo probe claudatur, &
 commissuræ fermento, aut limo obducantur.
 Remota ab igne olla ad cellarium defertur;
 ut ibidem per 24. horas refrigeretur: tum a-
 perto orificio penna Calami per vices essen-
 tiæ intingitur, hacque listæ fenestrarum, po-
 stes & superliminaria portarum, ac omnes
 aperturæ Conclavium & stabulorum illinun-
 tur, quo factò, Muscæ omnes fugabuntur,
 neque ulla ingredi loca ejusmodi attentabit:
 si observetur, essentiam aquis pluvialibus
 ablutam esse, inunctio iteretur. Quodsi ea-
 dem essentia habenæ, & quævis lorameata
 equorum inungantur, hi tota die ab infesta-
 tionibus Muscarum, aliorumque insectorum
 immunes reddentur.

Talpas et mures ex hortis et pratis spatio
24. horarum fugandi ratio.

Formentur Globuli magnitudinis nucis
 avellanæ modo sequenti: $\frac{1}{4}$ ℞ farinæ fabarum
 (*Bohnenmehl*) semi-unc. una Viridis æris
 (*Grünspan*) semi-unc. 6. calcis vivæ, 12
 frusta cancerorum simul minutim contundan-

tur,
 vend
 fluen
 bigat
 que i
 natur
 grato
 gabu
 a no
 buli
 odor
 lia r
 leran
 mad
 novi
 talpi
 cuili
 plur

Effic
 be
 ac
 ru
 la

gred
 la r
 ut p
 tura
 & a
 rum
 late

tur, ac conterantur; his dein $\frac{1}{4}$ ℥ olei lavenderulæ spicæ (Spießöhl) & nonnihil aquæ fluentis affundatur, totumque in massam subigatur. E paratis e massa hac globulis ubique infra egestam a talpis terram unus imponatur, terra eadem obtegens: odore ingrato globulorum istorum mures & talpæ fugabuntur, sicque intra 24. horas locus omnis a noxiis his hospitiibus purgabitur. Quo globuli sunt vetustiores, eo magis penetrantem odorem spargunt; neque citius dicta animalia redeunt, nisi postquam odore, quem tolerare nequeunt, globulos eosdem carere animadvertunt, quo in casu veteribus inodori novi substituendi erunt. Si plures Cumuli a talpis egesti occurrant, necesse haud erit, cuilibet globulum imponere: sufficiet, si istud pluribus in locis instituat.

Efficere: ut columbæ columbarium haud illibenter ingrediantur, ibidem maneat, et, si ad plura etiam Milliaria transferantur, rursus redeant. Similiter ut feles et mustellæ a Columbariis arceantur.

Ut Columbæ columbarium libenter ingrediantur, atque in eodem permaneant, nulla re alia opus esse, nonnulli suadent, quam ut parietes Columbarii variis in partibus mixtura ex oleo lavenderulæ spicæ, cariophyllorum, & anisi inungantur. Ne autem avolent, verum potius, quamvis ad plura milliaria translata, rursus revertantur, globuli e massa,

cujus compositionem ingredientur: anisum, anethum sceniculum, & thymus cum flava gleba in pulveres redacta, parentur, hi in cibum columbis porrecti non tantum propriarum abitum arcent; sed & odore suo peregrinas allicient. Oleum demum Francogallicum (*Frankosencei*) Feles & mustellas fugat, si eo columbarium superne ac inferne perungatur: id tantum curandum; ne oleo eodem partes internæ columbarii tingantur: hoc enim si fieret, columbæ domicilium suum desererent.

De multiplici utilitate Helianthi annui.

Helianthus annuus (multiflorus) ante Columbi ætatem veteri orbi incognitus, hodie in Europa æque bene, ac in natali Solo provenit. Planta hæc multiplici utilitate sua egregie se commendat; quapropter non tantum ornatus gratia, prout hactenus fiebat; verum ob æconomicos fines coli eo magis meretur; quod id exiguis sumptibus, et labore perfici possit. Porro usus ejusdem, ad sequentia Capita revocari potest:

1. *Pro alimento hominum.* Quamdiu planta helianthi tenera est, in Cibum utiliter convertitur. Quippe teneri ejusdem, & succo pleni caules, detracta exteriori pellicula, in Cinaræ (*Artischoffe*) modum præparati, edulium insigne præbent. Pari ratione, si receptacula florum, detersis floribus ab extima cuticula liberata, in aqua salsa coquantur, hacque defusa vino & aromatibus condian-

tur, aut instar Cinaræ adaptentur, dant escam minime insalubrem. E granis seminum, perhibente Medico *Reulio*, in Regno Mexicano farina conficitur, e qua non postremi saporis panis pinsitur. Eodem attestante teneri foliorum petioli, derasa aspera superficie, in oleo addito sale tosti, in Cibum utiles esse dicuntur; quemadmodum et tosta seminum grana, si in vicem fabarum Arabicarum pro adparando Caffææ potu adhibeantur.

2. *Pro pabulo pecorum et altitium.* Semina helianthi non modo altitia, sed & alia pecora domestica egregie nutriunt: altitia præprimis ex iis Carnem eximii prorsus saporis adquirunt. Offæ post expressionem olei prelo subducæ saginationi pecorum multo magis conducunt, quam eæ, quæ e semine Lini aut Brassicæ Napi obtinentur. Folia viridia helianthi setigero pecori jucundum pabulum suppeditant; hæc tamen non prius decerpenda sunt, quam semina maturescant; ne horum detractioe noxa plantæ inferatur. Idem & radices Helianthi præstant, si ea planta recisæ suillo pecori præbeantur; imo receptacula florum, minutim conscissa, hyeme alterius pabuli loco, vaccis & suibus porrecta, easdem egregie nutriunt. E flore Helianthi apes materiam, conficiendo melli & Ceræ idoneam, colligunt, atque generatim plantas inter, mellificis apibus gratas, primas partes tenet.

3. *Pro pressura olei.* Semina helianthi oleum pressa fundunt, quod non tantum in

usum alendæ flammæ, & conficiendorum medicamentorum converti potest; sed etiam in adparandis Cibis vices olei Provinciæ supplet, dummodo prius corticulis suis liberetur, idque præterea curetur; ne in eadem, ubi semen Lini, vel glandes Fagi Silvaticæ, mola contundatur. Insuper folia helianthi, in aqua tantum cocta, pannum, sericum, telam flavescente colore tingunt, quem addito spiritu salis communis, Vitrioli, aut Nitri in fuscum convertunt. E caule demum certa ratione tractato, Nitrum, charta, ac materia pro ducendis filis educi possunt.

Formicas intercipiendi, aut fugandi methodus.

Quamvis exitiales plantulis formicæ, propinata iisdem mortua rana, intercipi possint; siquidem circa hanc, desertis plantulis, illico congregentur, eamque dilanient: melior interim easdem fugandi ratio est, si cancer vivus unus, aut si major terreni formicis referti extensio fuerit, plures etiam cruribus suis forficulatis alligati appendantur; hi formicas perterrebunt, easque dispellent ita; ut anni integri spatio herbæ ab eorum depastione immunes maneant. Ferventi quoque aqua fugantur; verum methodum hanc svadere non audemus; quia plantulis ipsis nociva persæpe est. *Sonnini Bibliothecæ physico-œconomique.*